



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De  
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDXXXIV.**

**VD18 90392167**

Q. 4. Quando, quoties, ubi, & quâ hora celebrare licet?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41032**

dotes: *Curet Episcopus, ut ii saltem diebus Dominicis, & Festis solemnibus; si autem curam habuerint animarum, tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant, Missas celebrent.* In Ecclesiis verò Cathedralibus, Collegialibus, & Conventualibus quotidie celebrari Missa debet sub mortali saltem ab aliquo, præsertim ex usu Ecclesiæ vim legis habente, vel etiam ex fundatione.

Q. 4. *Quando, quoties, ubi, & quâ horâ celebrare licet?*

*Resp. I.* Quolibet die celebrare licet, exceptâ feriâ. 6. Majoris hebdomadæ, Feriâ verò 5. & Sabbato ejusdem Missa privata dici non potest, sed unica publica seu solemnis in singulis Ecclesiis. Ita praxis Ecclesiæ decretis Pontificum firmata.

*Resp. II.* Non licet nunc plures Missas eodem die dicere, præterquam in Natali Domini, & in casu necessitatis cum licentia Episcopi, dum idem Sacerdos duas habet Parochias, ex c. 3. *de celebrat.* & ex consuetudine vim legis habente.

*Resp. III.* Secluso privilegio non licet sub mortali, ob materiæ gravitatem, celebrare nisi in loco consecrato, vel auctoritate Episcopi Benedicto, vel in Oratorio ad divinum tantum cultum dedicato, & per Episcopum designato. ex Trident. sess. 22. & c. 12. *de consecr. dist. 1.* idque confert ad reverentiam tanto Mystero debitam, & ad fidelium devotionem

nem

nem augendam. Excipitur casus necessitatis publicæ, dum Ecclesia est diruta, ne populus sacro careat, vel deest, ut in castris, & in litore maris. c. 30. ead. imò nunc in mari celebratur ex licentia Papæ.

*Resp. IV.* Jure communi, Missa non debet ante auroram absolvi, nec post meridiem inchoari, ex Missali Roman. & consuetudine generali. Excipitur 1. Missa Nativitatis Domini. 2. Casus necessitatis conficiendi Eucharistiam pro Viatico. 3. Ex consuetudine vel tacita licentia in pluribus locis hora antevertitur, vel differtur, & in hyeme in gratiam opificum vel similium pluribus horis ante solis ortum celebratur. Porrò per auroram intelligitur prima lucis irradiatio, quæ excepto tempore utriusque æquinoclii durat per horam cum dimidia, & aliquando per duas horas pro diversis mensibus. Unde unâ horâ & dimidiâ ante solis ortum sacrificare licet. Dicunt multi, licere uno aut altero quadrante post meridiem inchoare Missam, ex causa rationabili, v. g. ob supplicationem, vel concionem publicam protractam ultra meridiem.

*Q. 5. Quenam requiruntur ad celebrandum?*

*Resp.* Sub mortali requiruntur. I. Lapidem Altare ab Episcopo consecratum, fixum, aut portatile tam amplum, ut hostiam & majorem partem Calicis capiat, ut docet Missale Rom. Portatile amittit suam consecrationem,  
cum